

QK.3/0 (X200758) v. Pistoris



IN HONOREM OR-  
NATISSIMI IVVENIS,  
NOBILITATE GENERIS, VIR-  
tute & doctrina præstantis Dn. Modestini Pistoris,  
celebrantis nuptias cum castissima virgine Anna,  
splendidissimi viri Dn. Iohannis Funcij,  
Cos: Pirnensis prudentissimi  
Filia.

NVCES  
Missæ


à

M. IOHANNE KVNDIO  
DRESDENSI.



Excudebatur Dresdæ.

ANNO 1576.





# NVCES.

AMANDVS.

TACIANVS.

**E**NNoster templi contingit mœnia sponsus,  
Sponsaꝝ virgineo concomitata choro.  
Dum coniungendi diuinum numen adorant,  
Atqꝝ suas addunt in pia vincula manus.  
Quisqꝝ domi mandata sibi bene munera curet,  
Ebria nec sitiens pocula minister amet.  
Tu sapidis orna dapibus coeprandia, vasis  
Pincerna auratis nobile prome merum.  
Vt non fraudetur mensis coniuua secundis,  
Constructa patinas ipse replebo nuce.  
Nos sponsis seruire decet, seruire docebat  
Ipse Deus, thalami qui sacer autor erat.  
Quid solus latitas foribus Taciane reclusis,  
Dignus qui monachi nomina prisca feras?  
Huc prodi, officijs pariter certabimus ambo,  
Imponet mensis donaꝝ quisqꝝ sua.

**T.** **Q**uis nouus est sponsus? Vultum no cernere possum,  
Namqꝝ oculis obstat plurima turba meis.  
**Q**uem rear? est parua pressus breuitate maritus,  
Hic est ( Simentem non malus error agit )  
Ipsa Modestinum quem sponsa modesta vocabit,  
Nunc aras, lectum mox aditura viri.  
**M**iror ego magnos exili in corpore nifus,  
Adiungit corpus quod muliebre sibi.  
**Q**uo sedet ad mensam, cum quo procumbit amice,  
Nox vbi velatum corripit atra thorum,

A 2

Triste

Triste malum mulier, dirum thoris ipse venetum est,  
Quo mulier recubat consociata viro.  
Coniugij damnum malus indicat exitus, atq;  
Nux mala, quæ nocui certa figura thor<sup>i</sup> est.  
Hoc mihi non vnquam persuaseris autor Amande,  
Vt ponam in syluis languida membra tuis.  
Arboris vt patula frondosæ contegar vmbra,  
Quæ nucibus grauida est, quæq; onerata tuis.  
Sub nuce carpentem somnum consurgere vidi,  
Nec gestare pedes hunc potuere sui.  
Effudit mœstos capitis vertigine questus,  
De morbo & redi<sup>t</sup>s s<sup>a</sup>pē querela suo.  
Et fuit infelix à primo tempore somnus,  
Masculis & conitunx quo iacuere simul.  
Cum pater optatum somnum excussisset Adamus,  
Non valuit pedibus fidere, vt ante, suis.  
Viribus amissis clamorem extendit in horto,  
Nupta mali, dixit, summaq; faxq; fuit.  
Fassus vera Deo est, puduit nec vera fateri,  
Ore mihi vero vera fatere tuo.  
An non facta tui vultus est pallida forma?  
An non sunt canis tempora sparsa comis?  
Quod tua te miserum contristat pessima coniunx,  
Quæ tetigit thalami strata parata tui.  
Credo equidem: Et sponsi iuuenis decor omnis abibit,  
Cui vis cælata tradere lance nuces.  
Deserat vt sponsam, soli narrabis in aurem,  
Coniuge non tacitum percipiente sonum,  
Vtq; vias cursu longas comitetur anhelo,  
Ne quærat coniunx signa remota pedum.

Cur:

A. Cur Taciane nices vano sermone laceſſis,  
Non linguæ maculas commeruere tuæ.  
Nil peccauerunt, niſi ſi peccare videntur,  
Sunt oleo pingui quod medicina ſuo.  
Glutine quo coēunt lethalia vulnera carnis,  
Quæ quis ſanguineo cæſus ab hoste tulit.  
Si licet vxores nucibus componere noſtris,  
Vxoresq; viris ſunt medicina ſuis.  
Quas dictis lædis, laceras morsuq; canino,  
Tu, qui non ſana coniuge dignus eris.  
Et cui defiſcent blandi ſolatia lecti,  
Et quæ plura pius commoda lectus habet.  
Ah mala iucundæ confertur gratia matri,  
Quæ genuit, lactis quæq; alimenta dedit.  
Cum ſoboles matris proſcindit criminē ſexum,  
Quem natura, bonus comprobat atq; Deus.  
Me functa accuſent genitricis funera caraę,  
De cœlo & veniat poena luenda mihi.  
Præda coronatis multis ſim iuſta puellis,  
Sit ſpolium manib; barbaq; laxa ſuis.  
Et quæ pro galeis vittis caput implicat, haftas  
In me conuertat densa caterua ſuis.  
Stet coniunx acie prima, & det vulnera prima,  
( Quæ mulcet mentis vulnera longa meæ )  
Si genus vxorum dulce & laudabile damno,  
Si videor ſponſo cauſa fuiffe fugæ.  
Dum nux cultori plenos dabit ardua fructus,  
Atq; viro partus fæmina foeta ſuos.  
Ipsa nucum virtus, & gloria coniugis ampla,  
Sollicito fiet carmine clara meo.

A 3.

Est

189  
A  
**T.**  
Est paradisiacis quondam nux consita in hortis,  
Inq̄ agris riguis virgo creata Deo est.  
Nux possessori concessa est, virgo marito,  
Qui fuit informi cespite fictus homo,  
Quod produxit opus bona mens, non spernere tutum est,  
Nam trahit autoris de bonitate bonum.  
Cui nux conducat monui: Quid possit at vxor,  
Sancta iuuat celsi verba referre Dei.  
Haud prodest, hominem sine compare viuere solum,  
Quæ ferat auxilium sed facienda viro est.  
Quæq̄ animum curis onerosis alleuet ægrum,  
Naturæ mulier födere iussa bonæ,  
Non aliena loquor: Solatia præbuit E V A,  
Horrida cum subijt mortis imago, viro.  
Nunc meminit Domini quam sit propensa voluntas,  
Reddere iusticiæ secula longa nouæ.  
Nunc se promissæ regem peperisse salutis,  
Expresso plausit læta virago sono.  
Non hoc esse malum nobis est triste canendum,  
Quod nobis horis debet adesse malis.  
Si gladijs fosso violentis commoda nux est,  
Vnguento tollis quam super astra suo.  
Cur hæc immitti tractatur verbere saxi?  
Nempe nucem labor est quod superare grauis.  
Arce latet dura æratis circundata testis,  
Et residet viridi cortice clausa suo.  
Res est perduræ ceruicis virgo vel vxor,  
Audiat hæc, qualis virgo vel vxor erit.  
Nam superinducta est duplici quoq; fæmina pelle,  
Ut ponat, plagis afficienda viri est.

Inuenies

Inuenies, qui dente nūces subuertere tentat,  
Quique audet digitis sternere tecta nucis.  
**A**t nil proficiunt: Illi certamine fractus  
Dens cadit angusti de statione loci.  
Hic fusci digitis deportat signa coloris,  
Quæ non tolluntur turpia fontis aquis.  
Qui vult infaustis vxorem vincere pugnis,  
Duricie vxoris vincitur ille suæ.  
Cumque datus morti est quam non sperasset, amaræ,  
Occisi victrix contegit ossa viri.  
Me seruet, mihi quas statuit sors aspera, pœnis,  
Ne veniat coniunx vlla regenda mihi.  
Sic annos viuam longos cornicis, adunco  
Ex raptu gratas quæ capit ore nuces.  
Vni sufficeret si cornix vna puellæ,  
Hæc vellem sensus fundere verba mei.  
Vos rostris omnem cornices ferte puellam,  
Ne faciat iuncto bella inimica viro.  
**A.** Non vi robusta nux est subigenda, sed arte,  
Quæ bellis semper docta magistra fuit.  
Et castiganda est mulier moderamine sancto,  
Vt possint nostræ pondus habere preces.  
Vt vasi infimo iussi tribuantur honores,  
Quod CHRISTI, & superi portio magna cho*ri* est.  
Durior es duris nucibus, qui verbera fancis,  
Fæmineo nec<sup>ti</sup>s quique flagella gregi.  
Spiritus est cuius placidus, gestusque quietus,  
Quique humili se scit subdere corde viro.  
Sed tecum vltterius contendere desino verbis,  
Pro sponso reddens debita vota pio,

Qui

Zd 2974 GK

(Qui templo egrediens miscet sua gaudia luctu,  
Quod Caput Imperij mortis adiuit iter)

Vt capiat semper sponsus solatia amicus,

Vxorem serua C H R I S T E benigne suam.

Sicq; Deus præsens fraternæ pacis amator,

Vt vigeat thalamo pax quoq; culta suo.

At tu coniugibus diras Taciane precari,

Et bellum discors perge mouere nouis.

Donec vindictæ te poena coherceat altæ,

Exitioq; graui facta nefanda liras.

## DISTICHON COMPLECTENS

annum, mensem & diem nuptiarum.

LVX ortV sVrgens InCept qVIinta NoVeMbrIs,  
Et nVX aC ConIVnX est CeLebrata VIro.

M. Iohannes Kundius, Dres-  
densis, Pastor in Dittersbach.

in O

m. o





**St. Pistoris**

# PREMOR- I IVVENIS, GENERIS, VIR-

tis Dn. Modestini Pistoris,  
a castissima virgine Anna,  
Dn. Iohannis Funcij,  
e prudentissimi  
ilia.

CES

iffax

# NE KVNDIO DENSL

三

## Our Dresden

1576

LIBRERIA  
LITOGRAPHICA  
CECAVIANA

A circular blue stamp with a black double-line border. Inside, the letters "Z d" are stamped in a bold, black, sans-serif font. Below them, the number "2974" is stamped in a slightly smaller, regular black font.

A circular purple ink stamp on aged paper. The outer ring contains the text "UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK" in capital letters. The inner circle contains "HALLE (SAALE)" in capital letters.